



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 144. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli sepulturam
peregrinorum. v. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Ad te igitur Jesu humillime recurro. ô gratia divina, nunquã oro me per-
mittas eo venire, ut intelligens non intelligã, aut intelligere nolim, & vi-
dens justiciam & præcepta tua, videre nolim. Certe magnum æternæ dam-
nationis signum est tam malum peccatus, quod à me avertat Illustrator men-
tium Jesus Dominus & Salvator noster.

§. 144. *Consilio autem imò emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam
peregrinorum. v. 7.*

Cùm non scirent, quid facerent & scirent quid vellent perversi Princi-
pes ineunt consilium, ut saltem in oculis hominum, aliquid agant ne nihil a-
gant ad conciliandam sibi auctoritatem & opinionem religionis apud po-
pulum, inveneruntque necessarium esse locum ad sepulturam peregrinorũ,
quorum magna frequentia in tam Augusta & ampla Civitate, & copia mo-
rientiũ erat. Agrum ergo vendibilem cujusdam figuli scientes, emerunt eũ,
nec sine divina providentia, ut sicut omnia quæ circa, & in vita & Passione
Christi Domini facta sunt tendunt ad bonum, ita & ipsa hæc pecunia appli-
cetur ad opus pium, nemo enim est qui non censeat indignum fuisse, ut ea
vel per epulas, vel lusus, vel alia vitiorum genera dilapidata fuisset, cum præ-
tium fuerit tam sancti & pretiosi sanguinis: nec conveniens, ut reposita fuisset
in Corbonã, cum ex ijs pecunijs, quæ inde sumebantur, emerentur oves
& boves ad sacrificia veteris testamenti, quæ erant figura hujus cruenti ve-
rique sacrificii & vivi Jesu Christi, Novi testamenti in salutem credentium,
veruntamen ipsi, qui sic consultabant ignorantes consilium Dei impleve-
runt. ipsi volebant abscondere nequitiam suam, Deus autem exaltabat glo-
riam suam: & ager emptus est in sepulturam peregrinorum. quare ager is
enim repræsentat Ecclesiam Dei, qui est figulus noster. cujus sanguine emp-
ta, plantata & irrigata est, & quidem in sepulchrum peregrinorum, hoc est
Christianorum qui se advenas & peregrinos agnoscunt, nec non mortuos
mundo & vitæ hujus sæculi.

Domine Jesu scrutator cordium & renum esto quod malitiose & ex hy-
pocrisis emerint Principes hunc agrum, tamen cessit in singulare bonũ,
sepulturam scilicet peregrinorum. Rogo te igitur, ut nunquam quid faciam
vel ex malitia vel hypocrisis, sed omnia mea dirigantur & disponantur secun-
dum tuam semper, voluntatem & meam necessitatem, nec è memoria ef-
fluat, me esse creaturam tuam, à te figulo æterno creatam, positam in Eccle-
sia Dei, quam redemisti Christe sanguine tuo & plantasti, ut in ea operer o-
pus perfectum, ad summi Dei gloriam & honorem, meque advenam & pe-
regrinum esse semper agnoscam, donec veniam ad illam cœlestem patriam,
in qua laudatur Deus in omnibus, & per omnia perfectissime.

M

§. 145. Prop.